



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam  
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna  
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

**Vastovius, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.**

Vlpho Ord. S. Brig. C.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38534**

VLPHO ORDINIS S. BRIGITTÆ FLORVITANO  
 ANNO CHRISTI 1433.

EVGENIO IV. Pontifice.

SIGISMUNDO Imperatore.

ERICO XIII. Rege.



VLPHO cum naufragium iuuenis subiisset, vna cum Ioanne Gerechino, (quem diximus postea factum Archiepiscopum) tabulæque quadraginta diebus fluctibus iactatus adhæsisset, omni edulio destitutus, vouit si vitæ seruaretur ordinem Sanctæ Brigittæ apud Vasthenas sese ingressurum: Post votum nuncupatum piscator quidam Hafniensis in Regno Daniæ voce cælitus emissa monetur, vt exeat ad prendendum pisces sibi specialiter reseruatos mox in cymbâ infiliens monitis diuinis obsecundat. Etece subducto paululum à terra nauigio conspicit à longe duos homines in quadam particula nauis insidere atque hinc inde ventis agitari. Mentem subiit illos ipsos esse pisces sibi singulariter reseruatos iuxta vocem diuinitus ad se factam. Quamobrem protinus cursum ad eos flexit & saluos ad littus perduxit. Vlpho igitur vitæ seruatus, memor dicti: vouete & reddite: Vasthenas sese contulit, religionique nomen dedit, veteri exurus homine nouumque indutus, monasticæ disciplinæ fuit obseruantissimus, orationum armis incessanter pugnauit, scuto fidei contra insidiantem inimicum protectus. Accidit non longe post quandam Monialem Vasthenensem, Benedictam, Gunnonis filiam, graui ægritudine per plures annos detineri, sæpiusque morti vicinam extremæ vnctionis sacramento muniri. Hæc non ignara puritatis sanctitatisque Vlphonis confessarii sui enixerogauit, vt votum quodpiam pro sanitate recuperanda emitteret. Vouit Vlpho diligenter se collecturum & scripturum vitam ac miracula S. Catharinæ Vasthenens. si eius interuentu infirma quadamtenus ab ægritudine releuaretur. Quo dicto sine mora vis morbi remisit:

*Vlpho 40. diebus naufragio iactatus absque vilo cibo.*

*Vouet religiosam vitam Vasthenis & naufragium ac mortem euadit.*

*Monasticæ disciplinæ obseruantissimus.*

*Votum pro infirma moniali nuncupat, & illa mox sanitati restituitur.*

Sed



*Annis 16. nunquam iacendo dormiuit.*

*Orationi vacans choros Angelorum videt.*

*Christum item sub specie pueri in eleuatione.*

*Dies obitus diuinitus illi reuelatur.*

Sed Vlpho quamuis quod factum fuisset animaduerneret, tamen nescio qua incuria voti non satis memor nihil minus quam de vita & miraculis Diuæ cogitabat. Quapropter infirmitas plus solito in virgine ingrauescere cæpit, donec Vlpho negligentiam suam cognoscens votum nūcupatum plena voluntatis synceritate compleuit vitam & miracula summa fide collecta conscripsit: atque infirma pristinæ reddita est sanitati, factaque Abbatisa viginti quinque annis eidem Monasterio præfuit. At Vlpho de solita vitæ austeritate nihil remittens, omnibus exemplo præiuit: sedecim annis nunquam quieuit iacendo, sed in quodam sedili ad nostra tempora in eius memoriam religiose asseruato sedendo tempus fomno necessarium impendit: tanti vir spiritus & contemplationis erat. Orationi vacando choros Angelorum videre meruit: & in eleuatione hostiæ Christum in specie pueri crebro se cernere fassus est. Ætate iam maturus cum primam Missam Conuentualem nocte natiuitatis Christi in galli cantu celebraret, diuinitus illi reuelatus est dies obitus eius, quem etiam coram certis suis Symmistis, & spiritualibus amicis prædixit, sicque vitæ agonem felicissime consummauit, anno salutis millesimo tricesimo tertio post quadringentesimum sabbato quatuor temporum in Aduentu.

*Ex authentico codice examinis vitæ & miraculorum S. Catharinæ Vastensis.*

STEPHA.